


IX





O. A. M. D. G.  
THESES MEDICÆ INAUGURALES,  
DE

# USU ET ABUSU AMULETORUM

Von  
Brauch und Mißbrauch der Anhänger  
wider die Krankheiten/  
QUAS

SUB FELICI AUSPICIO DIVINI NUMINIS  
CONSENSU GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
PRÆSIDE

DN. JOANNE FRIDERICO  
DE PRE,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, ANATOMIÆ, BOTANICIS ET CHIRURGIÆ PROFESSORE PUBLICO, FACULTATIS MEDICÆ  
ASSESSORE ORDINARIO & p. t. DECANO, NEC NON CIVITATIS  
ERFORDIENSIS SENATORE,

PATRONO, HOSPITE, FAUTORE ET PROMOTORE  
SVO ÆTERNUM OBSERVANDO,  
IN PERANTIQUA ET ELECTORALI UNIVERSITATE HIERANA

## PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA SOLENNI MAJORUM RITU IMPETRANDI  
PUBLICE VENTILANDAS PROPONET

JO. CHRISTIANUS TEUTSCHERUS,

Lipfienfis,

DIE VIII. JUNII, MDCCXX.

IN AUDITORIO COLLEGII MAJORIS HORIS CONSVETIS.

---

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENRICIGROSCHII, Academiæ Typographi.

DEO  
ET  
PROXIMO.



## PROŒMIUM.



Supremum Numen tria vastissima regna reclusit, ut Machina humana in statu sano conservetur, à morboſo præſervetur, & si quâ in parte labefactata est, ad priorem sanitatis statum reparatur: hæc tria regna, animale vegetabile & minerale in hunc unum scopum collimant, ut medicamina plura, simplicia & composita in sinu suo recondita terantur in pulveres, edulcorentur in syrupos, compingantur in bolos, rotentur in pilulas, confundantur in potiones, destillentur in essentias, colorentur in tincturas, alias

que in formas præparentur, queis absque re-  
 cursu ad amuleta superstitiosa variè in machi-  
 na humana humores alterentur, alterati fecer-  
 nantur, & secreti ex pomariis vitalitatis excer-  
 nantur. Hinc videmus tot officinas pharma-  
 ceuticas exquisitis non minus ac electis vario-  
 rum authorum compositis instructas, quasi ar-  
 mamentaria contra hostiles morborum insul-  
 tus variè adornata: Ast sicuti non est globus  
 unus & idem, qui unicuique quadret bombar-  
 dæ, ita nec una pilularum forma quadrat o-  
 mnibus corporis affectibus; quodcunque ve-  
 nenum habet suum antidotum, & quivis mor-  
 bus suum medicamentum specificum, cui au-  
 scultare solet, si unus nil efficit haustus, non de-  
 ficit alter, quo homo reficiatur, & morbus tol-  
 latur. Cum verò dura cervix morborum à so-  
 lis medicamentis internis sæpe nec frangi nec  
 subigi possit, ad medicamenta etiam externa  
 refugiendum est rationali Medico, pars infecta,  
 ne pars sincera trahatur in consensualem spha-  
 celum, igne per manum Chironis & Philonis  
 cauterisanda, & ferro rescecanda, aliæque Chirur-  
 gicæ operationes in coadjutorium subsidium

VO-



vocandæ: licet displiceant patienti, modò profint; mordent sangvisfuga, sed sanant; vinum & oleum partes malè cauteriatis & alia vulnera lædunt, sed leniunt: imò externa appendicula vulgò amuleta dicta collo, aliisque corporis humani partibus affiguntur, appenduntur, alligantur, ut ita viribus unitis inveteratæ & adultæ infirmitates per amuletum tanquam concurrens medium è medio tollantur: quàm materiam in præfenti differtatione fufius tractabimus, det DEus ex alto, ut omnia cedant feliciter.

§. I.

*Medicamentis internis in pluribus morbis non malè fuccenturiantur externa topica remedia & medicamenta.*

**A** Liquando videmus in praxi medicâ, quod tanta ferocia morbi, tanta fit affectuum præfertim Chronicorum vel etiam epidemicorum & pestilentialium contumacia, ut internis tantum medicamentis victas vires dare nolint, sed externis etiam in subsidium & usum convocatis remediis cedere velint: idcirco in febre malignâ, in delirio variisque delirii speciebus, ut hydrophobiâ, maniâ, melancholiâ fit capitis abrasio, emplastrorum impositio, pilorum ca-

nis rabidi vel theriacæ applicatio; in mensibus plus solito & æquo suppressis adornatur venæsectio; in hæmorrhoidibus cæcis iisque urentibus svadetur hirudinum exsuctio; in affectibus rheumatico-arthriticis laudatur embrocatio, & balnei infessio; in luę venereâ, ut fugitivus Mercurius Venerem fuget, celebratur Mercurii inunctio; duris tophis & scirrhosis tumoribus, ut emollescant, & in pus laudabile maturescant, applicantur cataplasmata; in urinæ suppressione decantatum mulierculis remedium est chærefolium recens in butyro non salito frixum partique dolenti calidè admorum; in contumaci cephalalgîâ, ut spiritus irritati sopiantur, illisque sopitis capitis dolor evanescat, adhibentur sacculi paregorici, capitiluvia, epithemata & frontalia; in variis oculorum affectibus ad defluxiones aliò derivandas excitantur fenticuli, perforatur cutis pro setaceis, inciditur pro vesicatoriis; in multis affectibus mittimus ægros ad thermas, ut ab apoplexia facta paralytica membra priori tono & vigore roborentur, vel calidis linteis fricentur; in empyemate præscribitur paracentesis, ut collectio puris apostemate rupto evacuetur, vel pulmonum vomica elutritur; callosa fistularum labia denuo lancetâ instrumento chirurgico exulcerantur, & ad promptiorem coalitionem renovantur; nisi enim vulneris obducta cicatrix refricetur, nunquam esset sanabile vulnus; in pterygio & cataractâ maturitatem affectâ viscosæ nubeculæ & pituitosâ siparia acu operatoris deponuntur; hæc similiaque innumera remedia heroica sunt & crudelia, sed sæpe essentialia & necessaria,

ria, sine quibus desideratus medicinæ scopus non attingitur, duro nodo durus debetur cuneus, extremis malis extrema remedia sunt applicanda.

Hæc remedia dicuntur Topica ἀπὸ τοῦ τόπου à loco, eò quod sint illa externa, quæ foris vel pharmaceuticè vel chirurgicè applicantur certis locis seu partibus externis: ad topica in sensu lato sumpta possunt cuncta referri, quæcunque in ulceribus, vulneribus, aliisque membrorum quibuscunque læsionibus adhibentur; sed in sensu stricto pro topicis illa venduntur in foro medico, quæ morbis à causa internâ oriundis ab extra applicari solent. Sic clarissimus *Wedelius* in lacte cum mica panis similaginei & vitello ovi admixto constituit topicum euporiston paregoricum: Sic butyro recente non salito, in quo *apium hortense* seu *seleri* decoctum, scabiosos vulgus inungit non sine felici successu, maximè si *flores sulphuris* addantur: sic *radix apii* cum *plantagine aquaticâ* secundum *Bauhinum* contusa, atque cum *mentha*, *sem. cumini* & *coriandri* mixta, decocta in vino, mammisque calidè admota lac congruatum dissolvit, dissolutum discutit, ut fontana lactis exsiccetur: Sic contra lithiasin à famoso quodam chirurgo sex imperialibus vendebatur cingulum anticalculosum circa renum regionem portandum, cui lignum peregrinum erat infutum: in odontalgia applicantur sacculi paregorici ex discutientibus anodynis & narcoticis, quæ ob sulphur μαλακτικόν dolores mitigant; in erysipelate asperguntur pulveres, vel locus erysipelatico rubore suffusus defenditur per specifica v. g. *dentariam*, *violam tricolorem* seu *florem Trinitatis*,

*tis. folia lauri flores mediunq̄ue Sambuci corticem lapidem  
 medicamentosum camphoram &c. it. sangvis menstruus  
 in ∇ senecionis & sperm. ran. solutus, linteolisque ex-  
 ceptus loco affecto applicatur; in flatibus ventriculo  
 incarceratis <sup>diva nra natio</sup> suis compedibus solvendis, su-  
 doreque per univēsum corpus eliciendo sæpe maxi-  
 mo cum effectu cataplasma repertum est, quod com-  
 ponitur ex lacte cæpis & semine utriusque cumini, ca-  
 lideque ventriculi regioni opponitur; sic pro topico  
 antifebrili laudatur *empl. specific. Helmontii*, vel famo-  
 sum *Strobelbergeri ex terebinth. herb. ranunculi telis ara-  
 ncarum & fuligine* paratum pulvisque applicandum:  
 in hæmorrhagia narium epithema v. g. *ex Fto ros. c.*  
*Oro & camphora* mixtum laudatur à plurimis: in otal-  
 gia à quodam milite Belgâ teste *Strobelbergero* auribus  
 liquor instillabatur compositus ex aqua simplici, cui  
 super ignem tepidæ aliqua grana piperis, & pro ditio-  
 ribus unum granum moschi hujus arcani inventor  
 admiscuerat. Sed bene notandum, topica humida sæ-  
 pe nocere, præsertim in affectibus cutaneis, scabiosis,  
 ubi natura per critica molimina quisquillas hetero-  
 geneas eliminare adicitur, sic enim male reformidan-  
 dum est, ne spicula acido-viscida retropulsa massam  
 humoralem rursus coinquent, & salutarem naturæ  
 intentionem invertant; sic etiam emplastra nocebunt,  
 quia transpirationem insensibilem impediunt; cautela  
 proinde & cura sit Medico, ut omnium circumstantia-  
 rum ratio accurata habeatur, non omnia topica &  
 semper absolvunt curationis punctum.*

*Topicis optimè accensentur amuleta seu ita dicta appendicula.*

Amuleta synonymicè xanexta, periammata, perriapta ex *περῖαμμα* appendo appendiculum dictum, græci etiam ulterius *ἀπορρητά* hæc vocant *ἀπὸ τοῦ ἀπορρίπτον* quod est amoliri submovere depellere, germanicè die *Anhängsel* / sunt omnia illa medicamenta externa, quæ de collo, brachio, aliâve corporis parte suspensa morbos arcere creduntur, præcipue verò contra veneficia infantibus quondam adhibebantur: merito inter externa fiduciæ & imaginationis subsidia referenda sunt amuleta, quia ut plurimum, sicuti de his fusius infra, ex firma in simile xenexton confidentiâ operantur. Amuletorum non adeo novus usus est, quin & antiquitatem sapiat certum est, nam pluribus ista fuerunt scuta, quibus diros pepulere ex corpore morbos; infaniens veterum superstitio in poëtarum commentis decantata eò dementiæ abiit, ut contra omnes morborum species specifica amuleta finxerit, pinxerit & sculperit: sic apud *Horatium* legitur: *Ab! ab! solutus ambulas veneficæ scientioris carmine*, quod infirmi thecâ conclusum, collo appensum tanquam panaceam inscriptis datam circumferebant: sic contra febriam habet sequentem cabalam, fabulam dixero potius *Quintus Samonicus serenus* ob tales tamen nugæ obscurus medicus his versibus

*Inscribis chartæ, quod dicitur Abracadabra  
Sepius, & subter repetas: sed detrabe summa,*

B

Ut

Ut magis atque magis desint elementa figuris  
 Singula, quæ semper rapies, & cætera figes,  
 Donec in angustum redigatur litera conum,  
 His lino nexis collum reamire memento.

Abracadabra

Abracadabr

Abracadab

Abracada

Abracad

Abraca

Abrac

Abra

Abr

Ab

A.

Similia barbarorum verborum monstra, abstrusos  
 logogryphos, mirabilia ænigmata, & ridicula reme-  
 diorum figmenta parturiit gens superstitiosa: tales ine-  
 ptias habet quamplurimas *Marcellus Empiricus*, *No-  
 nius Dioscorides*, imo integra similibum nugarum plau-  
 stra ex variis authorum scriptis huc adveni & adduci  
 possent, v. g. appendebant collo schedulam hanc con-  
 tra odontalgiam, cui inscripta hæc verba fuerunt:  
*Galbes, Galbat, Galde, Galba*; contra canis rabidi mor-  
 sum sequentia pomi frustulo inscripta portabant; *hax,  
 pax, max, Deus adimax*; contra luxata membra se-  
 quens: *Motas danata, daries, dardaries est araries*; vel  
 in

❧ (11) ❧

in aliâ phrasi magis barbarâ : *haut, haut, haut, ista pifla  
fista damiano danaustra*, vel adhuc elegantiori: *haut, haut,  
haut, istagis, turcis, ardanabon, damaystra* : & quis fabulo-  
sa hæc & barbara medicamenta, carmina klipelharti-  
ca, stultosque processus enarrabit ?

§. III.

*Amuleta quoad materiam & formam varia  
sunt, sed multa ridicula, iugosa superstitio-  
sa.*

Superstitio ita quosdam inprimis ex fæce cæci  
vulgi ita obfuscavit, ut firmiter existiment, verè cre-  
dant, se immunes fore omni feбри per totum annum,  
si, ubi cælum primâ vice intonat, à dextro ad sinistrum  
tres saltus faciant, gramenque vel folia arboris in gy-  
ro abrepta appendant collo, sed an non talia periapta  
inepta & superstitiosa sunt remedia ; his deest genui-  
na influenza, debita connexio, sunt supra vires na-  
turæ à DEO implantatas, vel ceremoniis, rhythmis,  
aliisque verborum etiam sacrorum nequitiam pallian-  
tium abusu plerumque circumvestita, variis cha-  
racteribus, circulis & signis involuta, crucibus & pe-  
regrinis lineis signata ; uti cabalisticæ Rabini schedis  
quinquaginta Angelorum nomina involvunt, additis  
etiam nominibus quatuor principum hujus mundi  
cardinum, & alia nescio quæ ex Mahometicis deliriis  
arabum decreta, & ita specioso nominum pallio suam  
superstitionem tegunt, & incautos in occultam pa-  
ctum irretiunt ; hinc benè non minùs ac piè ait

B 2

*Alfa-  
rius*

rius à cruce: syrupe & apozemata sunt medicina hominum, verba, sigilla & characteres demonum. Talia amuleta peccant modo agendi prohibitò, sic, ut alia sexcenta omittam, *Jason* refert ex *Valesio* pro curanda epilepsiâ hæc verba sequentia sancta, sed abusive immurmurari auribus: *Purget & mundet & muniat nos titulus triumphalis Jesus Nazarenus Rex Judæorum*: idcirco illa reprobamus, carbonariâ literâ notamus, ex medicina rationali & christianâ eliminamus, licet multa ex aliis transcripta legamus in *Antonio Mizaldo*, *Weckero* in splendido ejusmodi arcanorum schemate: nulla in verbis & literis vis naturalis inest curandi morbos, quomodocunque scribantur, fingantur, pingantur, scindantur, sculpantur, crucientur, quocunque tempore, ordine, & nescio quo phantastico literarum vertumno sæpe transportentur, licet etiam sanctissimis quo ad extimam faciem & speciem circumstantiis & pulcherrimis ceremoniis quasi solidissimo prætextu investiantur teterrima hæc figmenta. Priscis jam temporibus hanc impiam fallaciam agnovit *Galenus*, dum hæc amuleta irrationabilia & absurda media vocat, quidquid enim ait, operantur, non ex & per se sed per phantasticam imaginationem, quibus enim confidentia in illa deest, his deerit felix cura. Aperiamus curiositatis causa quasdam schedulas contra febrim perriaprice appendi solitas. v. g. spar das Fieber in den Menschen/ friß derweil ein Inslet-Kerzen/ wann du solche gefressen hast / dich das Fieber auch verläßt/ elegans carmen, pulchra pœsis. Simile xenexton, quod vetula contra febrim appendebat, perlustremus: Die alte hat das Kalte/



te / höhl der Teuffel die alte / so vergeht ihr das Kalte ; vel  
in alia paraphrasi : Du alte kalte Zettel / trag am Hals  
nur diesen Zettel / hilffts dir nicht / so schadet dir nicht / schließ  
in Pelz / so frieret dich nicht. adhuc aliud , varietas de-  
lectat : Alte greiff dichs Fieber an / so lege sechzehn Ko-  
gen an / kömmt dir endlich nichts zum Steuer / wärmedich das  
höllische Feuer. Mindererus refert in chartaceo amu-  
lato contra ophthalmiam scriptum fuisse : *Corvi oculos*  
*tibi eruant , & diabolus suo stercore cavitatem repleat.* Ser-  
vilius Novianus chartam literis græcis a & , signatam à  
collo pendulam gestavit contra quosvis oculorum af-  
fectus. Quis non videt ? quam misere & turpiter tam  
facile creduli , & amuletis nugatoriis tam firmiter con-  
fidentes decipiantur , illudantur & defraudentur.

*Plurima præterea verborum monstra silebo,*

*Nam febrim vario depelli carmine posse*

*Vana superstitione credit.*

Impium est per verba vel characteres velle curare,  
author talium verborum & magister cacodæmon frau-  
dulentus mimus & milleartifex est , cujus scholares  
& discipuli hanc periculosam doctrinam profeminant,  
quibuscum jure fœderis vel pacti expressi & formalis  
feu taciti & impliciti in varios effectus conspirat ; pro-  
inde tales superstitiosi amuletistæ tanquam iniquissimi  
impostores cachinnis sunt explodendi, quorum si do-  
mesticam supellectilem discutimus , invenimus mera  
suspecta pro amuletis conficiendis instrumenta , ibi  
videre est atras veneni ollas , exenteratos angues , e-  
ruderata cadavera , suspensorum restes , cæsurum crin-  
nes , ferruginea crepitacula , absolutas ærugine nollu-

ias, phialas virulentas, laternas medicatas, agglomeratas ad necem vittas, eruta sepulchrorum rudera, infectorum exta & inguina, attonfos fagarum capillos, horridos & aduncos tridentes, & si quæ horrida magis sunt, videbis tales impostores amuletistas his aliisque suis periaptorum materiis ante lucis ortum, ut & media nocte tacitos admurmurare versus, eingere circulis, aspergere sputis, & alia absurda exercere.

*Questio appertinens.*

Quid sentiendum de amuleto artis Passaviensis?

Delusi gentiles censebant, se magico carmine gladii aciem posse retundere, ut nec levi vulnere cutim queant attingere, imo impii adhuc hodie sunt, qui se invulnerabiles esse putant, si arma certis carminibus incantent, ut tradit *Spingerus in malleo*: vel si ferant indusium horrendis inscriptum nominibus, quod vocant inferni camisiam, vel periapta ferant variis characteribus magicis insignita, sed hæc omnia larvæ dæmonis sunt, luduntur & illuduntur homines, vel quia dæmon non stat pacto, vel quia DEUS ex justo judicio non permittit, ut promissis stare possit, vide de his *Fernelium Cardanum Delrio*. De invulnerabilitate somniant thalmodistæ, si quis ex libro psalmodum, psalmum primum portaret addito nomine Angeli specialis, quod cabalisticè ex psalmo compositum est, à quocunque malo velleret, illatum fore: sic fingunt psalmum 146. impedire vulnerationem, si debito suæ superstitionis ritu sit pronunciat: hinc referunt, judæum quendam voluisse Albertum Saxoniz Ducem hujusmodi artem contra vulnera docere, Dux Serenissimus & Prudentissimus cum miraretur, quomodo hoc fieri possit, judæo respondit: bene est, ut artis tuæ effectus mihi

mihī sit satis cognitus, in te faciam periculum, evaginatoque gladio iudzum ita percussit, ut neque per schem hamphorisch neque per appensam psalmi membranam sanari poruerit. Quidam miles gloriabatur de infallibili impenetrabilitatis amuleto, seque per gladios mediosque per enses, per mediam globorum bombardā ejectionum aciem libere aperto pectore procedere velle, quasi esset æs triplex circa præcordia fufum, sed ubi scheda amuletica aperiebatur, hæc verba legebantur: Bernheuthey ic. währ dich, sic illuduntur creduli. Impenetrabilitas illa oritur ab orco, malo dæmone, qui naturæ diptheram profundius timatus est, adeoque corpus durius objicit vel opponit, & ita avertit & ictum & vulnus; amuleta quæ in hunc finem adhibentur à malè credulis vim nullam impenetrabilitatis conferunt, sed solum ex pacto accersunt opem dæmonis, qui velut panurgus ardelio miseros suo voto frustratur, & deludit hiantes & luctantes cum morte & vulnere. Immunitas ab omni discontinuatione, divulsione & læsione partium quantitativarum supra naturam & artem est. Quis dicet martem sapere, si in thessaliam pro pede mandragoræ, pro scheda impassibilitatis Passavium curritur, ipse Achilles stygiâ palude perfusus contra Circeæ carmina bipondo famæ perdidit unctus à Chirone, sanatus à Machaone, femina Circe, male sanus magus aliique similes impostores ad furias properent, ad tartara ruant; sorbeant suum gelu colchicum & amuleta nequitia.

§. IV.

*Amuleta alia vera sunt, & agunt ex naturali virtute à DEO creaturis inditâ & quasi naturaliter conatâ.*

Uti amuleta superstitiosa, quæ ex varia materiâ conficiuntur, ex cera consistunt, ex charta compinguntur.

guntur, ex pilis & unguibus combinantur, ex restibus suspenforum & clavis patibuli coaptantur, & ex aliis quisquiliis componuntur, merito reprobantur, penitusque rejiciuntur, ita econtrà amuleta vera atque reali influxu in corpus naturale agentia approbantur, & ita, ut medicum trahantur in usum, commendantur: hæc enim naturalem connexionem habent, & verè virtute suâ sangvinem & spiritus influendo afficiunt, mutantque moventque: multa quidem multi in superstitionem & magiam declinare putant, eò quòd non ilicò causam & connexionem patientis cum agente combinare possint; sed esto, quod malitiosi & versipelles homines ad usum naturalium rerum magicas decantent strophas, esto? improbis opituletur impostor dæmon, nec tamen omnia superstitionem nec censuram incurrunt, servetur usus, tollatur abusus; Jaspis gemma, quem digito geris, emissâ virtute spiritus corroborat, succinum è collo pendulum suscipit defluxiones ophthalmicas & reliqua suum naturaliter præstant, de quibus exempla, observationes & experimenta plura videbis. Quod si amuleta naturalia non omnium votis mox satisfaciant, plurimi Viri doctissimi arbitrantur, illa justo tempore non fuisse collecta, ut scribit *Sennertus in Libr. d. Chym. c. 18. p. 636.*

S. V.

*Amuleta varia ad varios affectus ex regno animalium.*

Morbus vix est reperibilis ullus, cui proprium amule-

amuletum non est assignabile, tam dives penus est periapto-  
 rum, & si adducere cuncta liceret, integrum  
 volumen non sufficeret; quædam igitur tantum ex  
 quolibet regno memorare placebit. Sic ex regno ani-  
 mali primo prodibit *ungula alcis*, quæ collo appensa fe-  
 dat convulsiones secundum *Galenum, Lemnium, & Ferne-  
 lium*. Contra pestem laudantur aranei appensi, sicci-  
 que bufones: *Castoreum* & *asa fœtida* avertunt passio-  
 nem hystericam, tollunt incantationem, fascinum, &  
 veneficia, hæc enim effluviis suis in massa sangvineâ  
 & spiritibus alterandis, corrigendis, & roborandis mul-  
 tum valent. Vivum *scarabeum* linteo flavo insutum  
 de collo ceu amuletum suspendunt in febre intermit-  
 tente. Ad abortum præcavendum commendat *Zacu-  
 rus* Zonam ex corio lupi, alii hominis, alii equi marini se-  
 cundum *Macasium* in nudo corpore gestam, alii *leporis  
 astragalum* os de corde cervi, *Weckerus* laudibus extollit  
 vermiculos sub oleribus degentes ex collo suspensos.  
 In peste pestiferum virus eludunt *trochisci bufonini* seu  
*Zenexton Helmontii*. *Dens caninus lupi* appendi solet  
 infantibus difficulter dentitientibus, uti *guttur ejusdem*  
 medetur anginosi, si per illud bibat *synanchinosus*,  
 aut *caro ejus salita* uterinis suffocationibus dicitur resi-  
 stere. In partu difficili commendatur *caruncula lacry-  
 malis* ex cervi oculo seu liquor iste grumosus & in  
 canthis oculorum cervi concretus, ab aliis laudatur  
*cor galline nigre*, & ex pharmacopœa stercorariâ merda  
 accipitris. *Intestinalis lupi* amuleti loco adhibentur in co-  
 lica. *Caput viperæ* exsiccatum & collo appensum com-  
 mendatur contra anginam. Ita quoque pro amule-

to antifebrili recipiunt *vermiculos ex dipsaco* echinis  
ejus insidentes impari numero, eosque pennæ anse-  
rinæ includunt, sed verminosum & elumbe amule-  
tum, dignum ut cum aliis ineptis periaptis carmine-  
tur à fullonibus.

s. VI.

*Varia variis opposita morbis amuleta ex regno  
vegetabili in sylvis & hortis, campis &  
pratis decerpenda eradicanda & colligen-  
da.*

In hoc regno patet campus amplissimus colli-  
gendi periapta, flores, radices & herbas in multiva-  
rias formas amuleticas colligandi, colloque alligandi.  
Sic contra fascinationes & incantationes in sacculo  
*herbe floresque hyperici, capill. & siderit.* appendun-  
tur; item *cynogloss. dioscoridis* forsan ob particulas te-  
tras, maleque redolentes. Ad hæmorrhoides extol-  
litur pro amuleto *radix scrophularie & fabarie*, quam  
ultimam ceu infallibile remedium proponit *Clariss.  
Wedelius in M. N. C. A. 2. obs. 195.* Quibus verò hæ-  
morrhoides in nimio excessu fluunt, prodest ex com-  
mendatione *Hartmanni in praxi Chymiatr.* cingulum ex  
*foliis helleb. n. vel polygonum* sub axillis portatum. *vid.  
M. N. C. A. 3. obs. 22.* *Rorella* sole ingrediente leonem,  
fudoque cælo collecta colloque appensa plurimum  
præstare creditur in mania. Epilepticos insultus mi-  
tigant *carbones* sub *artemisia* effossi & amuleti loco ge-  
stati. *Allium* appendunt contra incubum & fascinum,  
simi-

similiter in ephialte *Willisus* commendat *sem. & rad. pæon.* è collo usque ad scrobiculum cordis pendula. *Crauli* secretum fuit in dystocia *raphanus rusticanus* in taleolos conscissus & parturienti adhibitus, sicuti in eodem casu magni fit *lign. mespil.* à *Riverio* Radix *pæonie maris seu nigrae* suspenditur de collo pueri epileptici, sed radix effodienda in julio lunâ decrescente, sole existente in leone in meridie & die solari. In catarthis radix *verbasci* virginis hoc est, quæ per eam ætatem non floruit, die veneris ante solis ortum à 15. Augusti usque ad 8. Septembris effossa, in loco umbroso siccata, in auro ligata ex collo suspensa summè laudatur, hinc etiam planta rheumatica dicta, & contra apoplexiam auri instar æstimatur. Radix *verbene* ex collo à filo pendula ut sursum vergat, amuletum est cephalicum, uti radix *malvæ* ophtalmicum, & radix *plantaginis* in doloribus cephalicis. Lignum *suberis* inter mammas dependens fontanam lacteam exsiccat. Radix *Phu* seu *Valerianæ* flore purpureo sanat incantatos. Imo etiam arboribus amuleta applicant, dum ætitem alligant arborum summitatibus, dicuntque fructus a casu præservari, si vero radici, casum promoveri. Notandum tamen, herbas quò recentiores, eò meliores & efficaciores, hinc sole oriente colligantur, & sub certis cœli influentiis decerpantur.

§. VII.

*Amuleta quæ in regno minerali ex auri- & argenti fodinis, ex abstrusis terrarum mineris*

ex profundis montium cryptis, ex infimis mari-  
 rum aquarumque abyssis effodiuntur, e-  
 ruderantur & in varia appendicula ad di-  
 versos morbos abigendos, præservandos vel  
 mitigandos adornantur.

Sic ex rege metallorum auro formantur mumismata  
 ad confortandos hominum animos, & ad spiritus à  
 splendido hoc auri sole irradiandos, & in activitate illu-  
 minandos. Sic tanquam laudabile pestis amuletum  
 commendatur à *Beguino Claud. Theodato Andrea Starckio*  
 si mercurius vivus incarceratus calamo vel nuci avel-  
 lanæ inclusus collo appenditur; idem hic mercurius  
 tali modo in nucem compactus pro amuleto gestatus  
 est contra fluxus dysentericos anno priori, quando graf-  
 fans dysenteria plura hominum millia è medio sustu-  
 lit, intactis illis, qui similia amuleta tulère. Idem præ-  
 stant, quæ de mercurio participant, hinc *Paracelsus*  
*Sim tui* vocat electum minerale immaturum, quod  
 collo appensum solvit ligationes, & fædam pestis lu-  
 em avertit. Uterius mercurius vivus in pennam scri-  
 ptoriam coactus, vel cum ungu. pomat. in linum subactus  
 aggreditur pediculos præsertim tardos in ingvine na-  
 tos, quos unà cum lenticulari supellectile, ovulis nec-  
 dum maturis in fugam præcipitat hic fugitivus socius.  
 Contra pestem quoque arsenicum è directo cordis ge-  
 standum plurimi suadent, referuntque Summum Pon-  
 tificem Adrianum à peste immunem se præservasse:  
 Cuidam mercatori Basiliensi, ut refert *Bernhardus Ver-  
 zasch*



zafsch *obs. med. obs.* 66. 138. quidam famosissimum contra pestem amuletum tergeminis laudibus commendavit, hac sub lege, ut nudum pectus & cordis regionem attingeret, faciles tum præbuit aures mercator, sed ecce tibi elapsis quatuor post appensum amuletum diebus tantam præcordiorum angustiam passus fuit miser amuletista, ut aliquoties in animi deliquium incideret; acremque dolorem simul in loco amuleti perciperet, Medicus eò vocatus amuleti sacculum aperit, & ex arsenico confectum observat, nigrasque pustulas circa cordis regionem excitatas notat: contra imaginariam facultatem arsenici adversus pestem prolixè & erudite commentatus est *Antonius Deusingius in tract. de peste part. 4. sect. 3. c. 3.* erroremque nominis factum manifestè demonstrat, cum medicus Arabs commendaverit sacculum darseni hoc est cinamomi (Arabibus enim Darseni cinamomum significat) linguæ imperitus pro darseni substituit arsenici. *Beyerlinck adducit Petri Borelli Histor. & observ. rar. medico-physicar. cent. 3. observat. 36. pag. 224.* Quod quis ex arsenico in pera contra pestem portato insolitis doloribus Ischiadicis fuerit tentatus. Metalla aperta in salis naturam conversa retinent sua semina in gradum exaltata, & fiunt amuleta, si in sulphuris naturam extra adjuncti residuum reducantur, tum vires planetarias acquirunt, ut sic enim lucentia vim habent penetrandi & spiritus illuminandi. Quoad lapides pretiosos appendi solitos, agunt illi emittendo effluvia lucida, quæ cum corpore toto vel ejus parte per poros uniuntur, sanguinem & spiritus afficiunt; sic sapphirus coloris

cærulei anthracem attingit, & aliquantisper affrictus  
venenum extrahit; sic referunt, quod smaragdus collo  
alligatus impediatur epilepsiam, prohibeat melancholia-  
m; amethystus & sardonix appensi supra umbilic-  
um ebrii solvant crapulam, saxi & herbis vis est, ast  
irrita verbis. Huc quoque adhuc quædam possunt a-  
muleta mixta referri: ita sine superstitione corallia &  
succinum collo manique appenduntur, uti & cam-  
phora in febris feliciter profliganda sacculo lineo inclu-  
ditur, cordisque scrobiculo appenditur, donec exha-  
laret, fortè ex eo quod camphora sudorem vel transpi-  
rationem promoveat, quem in finem similiter adhi-  
bent radicem iridis nostratis; nonnulli strumas alias-  
que carnosas excrescentias curant monilis loco gesta-  
to fune, quo fur suspensus est, vel conchulâ marinâ  
acutè quasi tornatâ circumligant collum contra scro-  
phulam. Addere lubet sequentes species in massam  
amuleticam compactas, & contra pestem appensas.  
*R. rad. angelic. Carolin. sem. angelic. myrrh. elect. castor.  
ana ʒj. camph. ʒij. incis. contusis add. ʒo rut. succin. ana  
gt. viij. MDS. species zum Anhängsel.*

*Quæstio appertinens.*

An detur amuletum pro invisibilitate?

Ficta sunt pleraque quæ de quarundam gemmarum virtuti-  
bus ratione invisibilitatis afferunt auctores v. g. de an-  
nulo *Gygis* refert *Herodotus* lib. 1. hic ope annuli se fecit invi-  
sibilem, ita ut non tantum hic *Gyges* formosus pastor in  
Lydia ob suam invisibilitatem tot in patria mactaverit  
hostes, sed & in concilio pastorum ob speciale hoc do-  
num ex vilissimo pastore in regem proclamatus sit, *Char-*  
*mion*

tion celebrior simili quoque annulo se invisibilem red-  
dere potuit quando voluit. Annulum hunc utpote fa-  
bulosum explodit ipse *Tullius lib. 3. de officiis* & *Plato lib. 2.  
de republica*; ejusdem incudis opus est annulus *Salomonis*,  
per quem hic sapientissimus à talmudistis quibusdam so-  
mniatoribus fingitur habuisse sapientiam sibi despon-  
satam; sic etiam fabulosis gemmis non diffformes sunt  
illæ imagines, quæ superstitioso scalpulo illis incidi velut  
figilla solent: sic pegasi imago gestata utilis dicitur in  
prælio equestri: *Andromache* insculpta & gestata concil-  
liat stabilem amorem inter conjuges: *Cassiopea* sedens  
in cathedra sculpta & gestata somnum inducit, & quietem  
post labores. Sic gemma heliotropia inuncta cum  
herba ejusdem nominis magiam sapit, necut vult *Albertus  
M.* sine characteribus & execrationibus magicis facit in-  
visibilem. Italus anonymus ex *Alberto M.* adducit in ni-  
do upuxæ reperiri lapillum varii coloris, quem qui por-  
taverit secum, ille erit invisibilis, sed hæc & sexcenta  
similia sunt præstigiis & fabulis similiora, quam veris  
Philosophiæ & Medicinæ christianiæ principis, & ab ul-  
timo sine aberrare faciunt.

§. VIII.

*Ratio actionis amuletorum verorum & licito-  
rum in Medicina.*

Multi veterum hic ad commune asyllum, occultas  
nempe amuletorum qualitates refugere; sed viri  
clarissimi, in orbe literario famosissimi, ac de re me-  
dica optime meriti *Diemerbroekius* & *Sylvius* cum toto  
recentiorum choro hanc veterum cantilenam explo-  
dunt, meliusque uno ore canunt & docent, totam  
periaptoꝝ activitatem per effluvia esse explicandam  
eo quod ex corporibus continuo emanent effluvia,  
quæ

quæ pro diversa figura sua corporibus occurrentibus, si ejusdem naturæ fuerint, amico amplexu agglutinantur & uniuntur; hacque ratione volunt memorati auctores, quod emanantes & effluentes veneni pestifentialis particulæ tempore pestis spiritus nostros ob texturæ & configurationis discrepantiam alias destructuræ, venenoso partibusque corporis appenso amuleto ob affinitatem & similitudinem naturæ associentur, & communem causam faciant, v. g. *Diemberbrochius* vult, moleculas ex sanguine per poros in sudore exhalantes ꝑio *æto* & *exsiccatis bubonibus* ex collo pendulis vel aliis partibus corporis appensis amuletis communicari & ita vinculo ex massa sanguinea soluto istis periaptis insinuari, uti etiam pestiferas atomos in aëre circumvolantes, ne machinam humanam inquinando lædant, in hæc amuleta suam malignitatem exonerare. Præterea vis agendi amuletorum multum etiam dependet ab imaginatione & confidentia phantasiâ fortiter commota, ut æger certò sibi persuadeat per hæc amuleta se pristinæ sanitati infallibiliter restituendum: quantum enim imaginatio ad morbos producendos, tantum etiam valet ad abigendos vel mitigandos; phantasia sigillifera virtus est, vocaturque imaginativa, quod formet rerum conceptarum ideas seu imagines, easque in spiritu suo vitali characteriset, fitque proinde ista idea ens seminale, potensque ad efficiendas res non levis momenti; hujus phantasiæ effectus videmus in gravidis, quando solo intuitu vel commemoratione, ventriculo pla-

ne

ne in fonte & innoxio in diversa etiam absurda feruntur. Phantasia amuleta secundat, præter id enim, quod timidis animum hæc addant, suis penetrantibus atomis poros cutis aperiunt, apertos conservant, & per hanc viam in corpus nostrum irruentia periaptorum effluvia humores alterant, & ita amuleta à moleculis e corpore exhalantibus alterantur, quod egregie præstant camphora & castoreum. Sanguis per amuleta peregrino caractere imprægnatus reliquo cum sanguine mixtus multum immutatur; hinc est quod dicant etiam, ætitem seu lapidem aquilæ vel magnetem vel lapidem stellatum e collo suspensum operari non nisi phantasticâ impressione, hoc est molliores feminas erigendo, dum his confidentes præsidii nihil sibi timeant. Vis imaginationis in moderandis augendis & minuendis medicamentorum effectibus subinde est maxima; sic medicus quandoque mica panis in pilulas redactâ in hominibus credulis phantasiâ huc ducente & movente provocat alvum. Concludimus denique amuleta non semper & ubique suum præstare, idque vel ex defectu sufficientis confidentiæ, vel quod tempore justo non sint adornatæ v. g. radices in suo signo & debito astrorum influxu non sint collectæ, vel quod debito modo non sit facta amuletorum applicatio; amuleta vero supersticiosa, nugosa tanquam aniles fabulas eludimus, nec omni vetulæ hoc vel illud periapton suadenti credendum, nec omni impostori sub nescio quo sacrorum verborum pallio sua amuleta vendenti fides habenda, in nobilissima arte

D

Medi-

Medicinâ non est tam curta supellex, quin alia interna medicamina adducere, & corpori humano conducere possit, quibus externa topica imollicita amuletaliceat appendere.

## FINIS.

---

## COROLLARIA

I.

**A**bstinentia sæpe morborum medica.

II. Multi morbi chronici vel sunt nobiscum nati, vel in juventute & adolescentia acquisiti.

III. Dantur herbæ dementantes v. g. Mandragora, Nicotiana.

IV. Omnis quidem febris calor est præternaturalis, non tamen vicissim contrà quivis ejusmodi calor febris, nec necesse est omnem febrilem calorem primario accendi in corde ut Avicenna statuit.

V. Cathartica medicamenta simplicia non solum virtutem obtinent propriam, qua peculiarem humorem expurgant, sed alios etiam

eva-

evacuant, quanquam pro ipsorum diverſitate alia alios magis, alios minus.

VI. In paroxyſmo febrili tutò vena aperitur maximè in plethorico.

VII. Mulierem hydrope uterino laborantem concipere, fatumque geſtare poſſe, veritati non repugnat.

VIII. Steriles mulieres plerumque vivunt valetudinariæ.

IX. In omni peſte non datur remedium ſpecificum.

X. Omnium februm ſignum pathognomicum eſt pulſus præter naturam frequentior.

XI. Non minus in phthiſi ad extenuationem corporis quam ad ulcus reſpiciendum.

XII. Suffocationis uterinae ſubjectum non eſt tam uterus quam potius inteſtina, hinc cum colica ejusdem ferè curæ eſt.

XIII. Medicamenta diaphoretica merito inter univerſalia referuntur, ut & diuretica.

XIV. Multi in curatione planetas & calendaria conſulunt, at quantò fatius plantas aliorumque remediorum penaria conſulerent.

Si

**S**I Pater est medicus, medicos si tota recenset  
Stirps lauros, cur non par mediteris opus!  
Perge sequi Patrem, Fratres, vel quos tibi clarus  
Sanguis, Apollineâ junxit in arte viros.

Ita

Nobilissimo & Clarissimo Domino.  
Doctorando paucis hisce gratu-  
lati, & omnia prospera sincere  
apprecari voluit

PRÆSES.









01 A 6529

ULB Halle


3


002 928 701



*Zweit*







B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13

A. M. D. G.  
ICÆ INAUGURALES,  
DE

# T ABUSU ETORUM

Don  
gebrauch der Anhängsel  
ie Krankheiten/

QUAS  
SPICIO DIVINI NUMINIS  
OSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
PRÆSIDE  
NE FRIDERICO  
E PRE,

ICINÆ DOCTORE, ANATOMIÆ, BOTANICÆ  
OFESSORE PUBLICO, FACULTATIS MEDICÆ  
O & p. t. DECANO, NEC NON CIVITATIS  
ORDIENSIS SENATORE,  
TE, FAUTORE ET PROMOTORE  
TERNUM OBSERVANDO,  
ECTORALI UNIVERSITATE HIERANA  
LICENTIA

INA HONORES ET PRIVILEGIA  
NNI MAJORUM RITU IMPETRANDI  
VENTILANDAS PROPONET  
ANUS TEUTSCHERUS,

Lipſienſis,  
VII. JUNII, MDCCXX.  
OLLEGII MAJORIS HORIS CONSVETIS.  
H. HENRICIGROSCHII, Academia Typographi